

MANDATUM RECTORIS,

OB RECENS NATUM SERENISSIMUM *BURGUNDIÆ DUCEM.*



NOS FRANCISCUS-NICOLAUS GUERIN, RECTOR Universi Studii Parisiensis, Omnibus & singulis ejusdem Universitatis Doctoribus, Magistris, Clientibus & Administris, SALUTEM.

QUOD unum post tot victorias & triumphos, post Pacem terrâ marique constitutam, Regni fortunæ ac securitati defuit, id tandem nobis indulsit *ex alto*, qui *format hominis nativitatem* Deus omnipotens. Natus est SERENISSIMO DELPHINO Filius, neque minoribus, quàm ipse olim Pater, votis expetitus, neque post breviores temporis moras impetratus. In illius ortum arrectæ trepidabant Aula, Civitates, Provinciæ; exoritur Augustus Infans, & omnium spes & gaudia nascendo cumulat, qui totius Imperii desideria tàm acri expectatione suspenderat. Nam quod pectus verè Gallicum non exultet faustissimo eventu, qui

Regiam Familiam lætitiâ perfundit, cum is ſit noſtræ Gentis, præter cæteras, animus, ut ſuorum proſperitate Principum magis, quàm ſuâ, moveatur? Licebat quidem anteà felicem dicere LUDOVICUM, cui, ex quo regnare cæpit, nullus effluxit annus, nullus dies, non aliquo ſingulari divinæ benignitatis pignore conſignatus. Huic præſtantiſſima Bello & Pace nomina communis Populorum admiratio detulerat. Reſtabat tamen, ut glorioſiſſimus Regum eſſet idem & beatiſſimus Parentum. Fruitur ille nunc ſuis votis noſtriſque; fruitur eâ voluptate, quâ nulla humaniſſimæ ejus indoli accommodatior. In multiplicatâ ſobole multiplicatas ſui imagines circà ſolium Pater & Avus intuetur. Dulce nobis quoque, charumque ſpectaculum! quippè eâ fiduciâ, quotquot naſcantur è tali Sanguinis Auctore PRINCIPES, totidem gigni præſidia publicæ ſalutis.

SIC profectò ſentit de ſuo DELPHINO univerſa Gallia, quæ creſcentem per primos ætatis gradus animo ſecuta, ſua nunc ſibi auguria, ſuas ſpes confirmatas videt. Itaque effuſis omnis Patria ſenſibus gratulatur juveni Principi, cui cùm abundè ſuppeteret, undè amaretur, & quòd LUDOVICI Filius, & quòd Unicus, his Natalium titulis titulos etiam adjunxit virtutum maximarum, quas idoneis ſuo culmini artibus conſtanter excoluit. Hinc illæ acclamationes, feſtique plauſus, quos ille exceptos eodem, per quem meretur, affectu, lætus geſtienſque refert Auguſtæ Conjugi, ſuis deliciis; undè agnoſcat tenera felixque Mater, quibus Populis pretioſum Puellulum ediderit, quantòque ſuo illo tam amabili munere facta ſit nobis ipſa pretioſior.

IN hac porrò tam juſtâ communique lætandi causâ, nefas ſit Illum oblivisci, per quem nobis datum eſt, ut

lætemur. Quamobrem jubemus in ſingulis Collegiis intrà primam ab hujus Mandati promulgatione hebdomadam, cantetur Hymnus Euchariſticus *TE DEUM.* Simul Magiſtros Diſcipuloſque noſtros hortamur, ut piam Regis in Chriſti membra liberalitatem, quantùm fas eſt, imitati, è ſuis quiſque opibus aliquid effundant in ſinum Pauperum : Pauperum Preces, quæ apud Deum potentiſſimæ ſunt, Regio Infanti concilient, ut olim, cùm adoleverit, ſe in Pauperum maximè gratiam conſervatum meminerit.

Prætereà, quoniam æquum eſt noſtræ Juventuti ſuæ lætitiæ, quæ bonos cives prænuntiat, aliquod quaſi præmium rependi, quo hæc ætas afficiatur, volumus, dilatis ad diem à Nobis indicendum Ordinariis Supplicationibus Univerſitatis, & præclaræ Facultatis Artium Comitiis, Ferias Academicas ad diem Lunæ Octobris undecimum prorogari; quo die, pro more, Sacrum Spiritui Sancto celebrabitur, & ſolitæ inſtaurandis Scholis Conciones habebuntur.

DATUM in Ædibus noſtris SORBONÆ-PLESSÆIS, die Veneris vigeſimâ-quartâ menſis Septembris, anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo-primo.

Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS, nec-non Academiæ Pariſienſis Typographi, in Plateâ Cameracenſi, 1751.